Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3133
Quelle:
Copyright:

DCCCXCII.

783 Codex membraneus belg. Sec. XV. Folior. 109. 8. eleganter exaratus, auro et coloribus distinctus, tribusque iconismis picturatis, rudioribus tamen instructus inter sic dicta *Horaria* referendus est; continet enim Officium de S. *Cruce*, de B. V. *Maria*, VII. *Psalmos* dictos de *Poenitentia* cum *Litaniis*, et *Vigilias* Defunctorum. Mensium in praefixo *Calendario* haec sunt nomina: *Loumaent. Sporkille. Maerte. Aprille. Mey. Wedemaent. Hoymaent. Hogstmaent. Gherstmaent. Saetmaent. Horemaent. Smeamaent.* Calendarium istud parum populosum est; cum vero inter alios *Belgii* Sanctos ad diem 1. *Octobr.* habeatur *S. baue misse*, idemque S. *Bavo* in Litaniis, praetermissis aliis, invocetur, *Codicem* ad *Gandavensem* aut *Harlemiensem* Viciniam pertinuisse conjicio. Nomina Feminarum, quarum quondam κτημα fuit, in calce adscripta, quoniam plebeja fuisse videntur, praetereo.

DCCCXCIII.

970 Codex membraneus lat. Sec. XVI. ineuntis, Folior. nunc 117. 8. eleganter exaratus, et praeter literas initiorum deauratas, depictasque Iconibus X. ornatus inscribitur: *Hore beate marie virginis secundum vsum sacri monasterij sancti petri latigniacensis.* Est vero Coenobium istud O. S. B. conditum Sec. VII. a B. *Furseo Hiberno* ad fl. *Matronam* sex supra *Parisios* leucis, vulgoque *Lagny* dicitur, de quo videnda *Gallia Christ. T. VII. col.* 490. Hinc Icon prima Monachum *Benedictinum* exhibet adstantem illi *Christi* repraesentationi, quam *Ecce Homo* adpellare solent. Inferne Scutum caeruleum visitur cantherio aureo, tribusque per areas liliis, ut videtur, argenteis insigne, quod, quo referam, nescio. Insunt porro: *Calendarium*, in quo miniati 17. Jan. *S. Furseus abbas.* 9. Apr. *Maldegarius conf.* idem fortasse, quem Autores *Artis verificandi Dat.* in Catalogo SS. p. 162. edit. *Paris.* 1770. f. *Madelgarium*, sive *S. Mauger*, *Madelgaire* vocant, Martyrologio *Rom.* ignotus, 7. Maji *Exceptio corporis s. floren.* id est *Florentini* mart. cujus reliquias *Arnulfus* abbas a. 1094. *Latiniacum* transtulit, ut habes *Gall. christ. cit. col.* 494. 20. Maji *Latigniaci commemoratio reliquiarum.* 21. Jun. *Deodatus ep. et conf.* 1. Jul. *S. Theobaldus.* 18. Sept. cui idem *Arnulfus* Templum prope *Latiniacum* extruxit, *Lambertus ep. et conf.* 28. Sept. S. *Florentinus* et *Hylarius* cum octava. 11. Oct. *Ansilio conf.* mihi ignotus. 15. Nov. *Fulbertus ep. et conf.* Sequuntur Initia IV. Evangeliorum partim evulsa, Officium de B. V. M. Psalmi Poenitentiales cum Litaniis OO. SS. in quibus praeter jam memoratos invocantur *Foilanus*, *Piatus*, *Karagnus*, martyres, *Emilianus* al. *Emmianus*, *Faro*, *Mumbolus*, *Vltanus*, *Fiacrius*, *Agi-*